Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31650
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

ΤΑΠΕΙΝΟΦΡΟΣΥΝΗ legit id est humilitas mentis, siue sensus. Vere enim humilitas sensus, et miseranda suspicio, dum credere hircorum atque taurorum sanguine delectari, et nidore thymiamatis quem sepe homines declinant. Quod autem sequitur: si mortui estis cum xpo ab elementis mundi, quid adhuc tamquam uiuentes in mundo decernitis? Ne tetigeris neque gustaueris, neque contrectaueris, que sunt omnia in interitu ipso usu, secundum precepta et doctrinas hominum, que sunt rationem quidem habentia sapientie in superstitione et humilitate et non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis, hunc nobis habere sensum uidetur. Curamus per singula, et obscuritatem sensuum atque uerborum xpo reserante pandam. Si baptizati estis in xpo, et cum xpo in baptismate consepulti, mortui autem ab elementis mundi, pro quod est elementis, cur mecum non dicitis, in autem absit gloriari nisi in cruce domini nostri ihu xpi per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo, nec auditis dominum dicentem, de mundo non sunt sicut et ego non sum de mundo, et mundus eos odit qui non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo, sed et e contrario quasi uiuentes in mundo decernitis? Ne tetigeris corpora hominis mortui, nec uestimentum et scabellum in quo sederit mulier menstruata, neque gustaueris siullam carnem lepore et sepiarum et lolligenum, murenae et anguillae et uniuersorum piscium qui squamas et pinnulas non habent, que omnia in corruptione et interitu sunt ipso usu et stercore digerunt. Escam uentri et uentrem escis, et omnem quod per uentrem non communicat homini, sed ea que de nobis exeunt. Secundum precepta inquit et doctrinas hominum, secundum illud quod esaias loquitur. Populus hic labiis me honorat, cor autem eius longe est a me. Frustra autem colunt me, docentes doctrinas et precepta hominum. Unde et dns pharisaeos corripit dicens: Irritum fecistis mandatum dei, traditiones uras statuentes. Dis enim dicit: Honora patrem et matrem, et qui maledixerit patri et matri morte morietur. Vos autem dicitis: quicumque dixerit patri ut matri, munus quodcumque ex me tibi prodierit, et non honorificauerit patrem suum aut matrem et reliqua quibus infert, et irritum fecistis mandatum dei propter traditionem uram. Que traditiones pharisaeorum sunt quas hodie deuterosin uocant, et tam anilis fabulas reuolutare nequeo, neque enim libri patrum magnitudo, et plerique tam turpia sunt, ut erubescam dicere. Dicam tamen unum in ignominiam gentis nostrae. Prepositos habent synagogae sapientissimos potentissimos quosque fecto opi delegatos, ut sanguinem turgidus siue menstruate mundum ut immundum, si oculis discernere non potuerunt gustu probent. Preterea quia uissum est, ut in die sabbatorum sedeat unusquisque in domo sua et non egrediatur, nec ambulet, nec habitat, siquando eos uerba uiteria cepit stare, ut non iaceant, non ambulent, non stent, sed tantum sedeant, siuelint respondere et dicere, Barachibas et Symeon et hellis magistri nri tradiderunt nobis.